



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1635. usque ad annum 1643

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 9011888X**

§. 38. Gallorum Res in Catalonia & Belgio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67406](#)

Sæc. XVII. jamjam desperatis immota fortitudine  
A. C. 1642. per medias hostium phalanges cum le-  
gione Prætoriana sibi viam ferro ape-  
rit: Ut vero ignaviam, qua præcipue  
Madloniana legio omnium prima, reli-  
quis strenue adhuc pugnantibus, præ-  
lio excescerat, ad ceterorum terrorem  
plecteret, Archidux Centuriones, Ve-  
xilliferos, & reliquos inferioris Ordini-  
nis Præfectos, & ex gregariis decimum  
quemque forte legendum plumbeis glo-  
bis trajici jussit: ipse vero Joannes  
Georgius Madlonius Chiliarcha Pra-  
gam in vinculis deductus anno sequenti  
capite plexus est. Ceterum Torsten-  
fonius parta hac victoria Liphensem ur-  
bem & arcem facili negotio ad dedi-  
tionem compulit: ex adverso autem  
Cæsareo-Bavari, postquam Hasso-Vi-  
narienses inedia confecti Rhenum re-  
meare coacti fuerant, recuperato Mar-  
coduro oppido, Suecisque non una  
clade repulsis in superiorem Germa-  
niā contendērunt.

## §. XXXVIII.

*Gallorum Res in Catalonia & Belgio.*

*Daniel Hist.* Eodem anno Hodancurtius, quem Lu-  
*de France* dovicus Franciæ Rex in rebellium  
t. 10. p. 58. Catalonorum opem submiserat, die de-  
cima nona Januarii haud procul Barci-  
none

none cæsis quinque Hispanorum milli- Sæc. XVII.  
bus Tamaritam Arragoniæ urbem vi A.C. 1642.  
cepit, ac secundo prælio Hispanis re-  
pulsi llerdam munitissimam arcem ob-  
sidione liberavit. Pari successu Meille-  
rayus Franciæ Marescallus Colibram  
Rufcinoneusis Comitatus urbem post  
unius mensis obsidionem die decima  
tertia Aprilis, necnon Perpinianum  
non tam vi oppugnantium, quam an-  
nonæ penuria, & fame sexto ferme ob-  
sidionis Mense ad ditionis necessita-  
tem die septima Septembris compulit,  
validamque hanc urbem ad amnem  
Thetim sitam rebellibus Catalonis  
tradidit. Accedit ad cumulum malo-  
rum strages pene internecina Hispano-  
rum prope llerdam, necnon Hispanæ  
classis ruina in Cataloniæ ora, ac de-  
mum Salsulanæ urbis expugnatio: Tam  
rapidam Galici exercitus felicitatem  
haud parum promoverat præsentia Lu-  
dovici Regis, qui ipsus tum in Narbo-  
nenſi Provincia agens, Gallis audaciam  
& virtutem, Catalonis vero rebellibus  
spem animumque indiderat. Verum  
in Flandria finistram belli fortunam ex-  
periebantur Galli; postquam enim Fran-  
ciscus Melo Belgii Gubernator cum vi-  
ginti quinque Hispanorum millibus Atre-  
batum validam Artesiæ urbem cinxe-  
rat, converto repente cursu Lendum  
urbem

Sæc. XVII. urbem tertio obsidionis die Gallis eripuit:  
 A. C. 1642. indeque Basseam contendens, hanc ci-  
 vitatem armis suis subegit, promotis-  
 que in Picardiam castris prope Hone-  
 curtum commisso prælio Guichium  
 Franciæ Marecallum magna clade af-  
 fecit, captis Gallorum bis milibus, to-  
 tidemque ferme in acie cæsis. Hæc  
 clades haud parum Catalonicæ victo-  
 riæ lætitiam imminuit, quin tamen  
 Hispanas res multum promoveret, eo-  
 quod Galliarum Rege inter Viduam  
 Sabaudiæ Ducissam & Mauritium Car-  
 dinalem ejusque Fratrem Thomam con-  
 cordiæ pacta Taurini die decima quar-  
 ta Junii conciliante, ambo hi Sabau-  
 diæ Principes ab Hispanis ad Gallicas  
 partes transiissent, & insuper Franci-  
 scus Melus intercepto victoriarum cur-  
 su regredi jussus fuisset, ut Mosæ tran-  
 situs observaret, indeque Vinarienses  
 per agrum Colonensem graffantes  
 prohiberet.

## §. XXXIX.

*Cimmarthius Marchio & Thuanus ca-  
 pite plexi.*

*Mem. Hist.  
 par Arme-  
 lot tom. 2.  
 pag. 276.  
 Abregé de  
 l'hist. Eccl.  
 tom. 10.*

Interea Franciæ Aula inteflinis turba-  
 batur motibus, quorum origo hæc  
 erat: Deperibat Rex Hautefortiam No-  
 bilem Matronam, quam Richelius Car-  
 dinalis